Segonda [illegible]

Generose Domine 1

Generose Domine Lukasiewicz

Amice Mi GENIUS

Opuscula in his Miscellaneis sub N° contenta sunt.

1. Carmen gratulatorium in laudem Jng. adol. ab Alb. Deoyen. Crac. 1630
2. Debitum pietatis A.R. et Exc. Jac. Vitellio a Joach. Speronowic. Crac. 1638
3. Aurora natalium Jll. ac M. D. Adam. Hieron. Sieniawski Sub. Stan. Oszędowski C. 1638
4. Hellanodiæ virtuti, quam cum fide &c. opera Joach. Speronowic Crac. 1638.
5. Elisei Aurimontani ad Dantiscanos bellum et arma circumspicientes Epist. 1638.
6. Vindiciæ p Cornelio Tacito a Nicol. Nowikowski Convitiatoris opposita Crac. 1638.
7 Arctos Sarmatica, quæ gener. Juv. ab Alb. Samborski monstrat. Crac. 1638.
8 Nubes Hippocratis Cl. ac Doct. Viro Andr. Wolfowicz a Thom. Canevesi dic. Crac. 1638.
9. Icon virtutis et laboris ~~[illegible]~~ Ven. ac Exc. D.D. a Nic. Fatowicz Crac. 1638.
10 Pietas erudita seu oratio de nexu piet. cum erudit. Joan. Alb. Paris. Crac. 1638.
11 Tiara Episcopalis Jll. ac R.mo D. Andr. Gębicki Eppo Luceor. a Daniel. Otrebusz Crac. 1638.
12 Icon heroicæ virtutis Gen. ac M. Joan. Dębienski a Joan. Cynerski Crac. 1639
13 Colossus immortalitatis Ser. ac Pot. Vlad. IV. a Balthas. Stan. Prylutski Lublini 1638.
14 Felix Luceoria in primo ac solemni Andr. Gembicki &c. Balt. St. Przylutski Lublini 1639
15 Planctus in obitum Jll.ae D.ae Teclæ in Olyka Ducis. a Balt. Stan. Prylutski Vars. 1637.
16 Nænia na smierć nieśmiertelną Andrzeja Jaklinskiego. Krak. 1638 p. M. J. C. R.
17 Acroama pietatis ad festu nuptiale &c. a Joan. Cynerski
18. Processus causæ int. insig. et perfidum Marcum Judæum, Decretu &c. Cr. 1636.
19. Aureus Trionis Sarmatici tripos a Ludov. Christoph. Millero Crac 1638.
20 Minerva plaudens in Aula D. Jagiellonis ab Adamo Nowakowski Cr. 1638.
21 Dona Gratiarum Ven. D. Mart. Stan. Woltowic. p Valerianu Alnpek Cr. 1638.
22. Róża przesadzona z ziemie do nieba w kaz. pogrz. Mikol. Lawrinowicza Fr. Kr. 1638
23. Metamorphosis Apollinis et novæ Musæ a Joan. Nicol. Gąsiewski Crac. 1637
24. Utraq. civis Jll. D. Stan. Lubomirski &c Joachim. Speronowicz. Crac. 1638.
25. Stephanion Studii Philosophici R.do D. Sub. Stan. Oszędowski Crac. 1638.
26. Paterna felicitas cl. ac doct. Viro Andr. Wolfowicz a Joan. Grynwaldt Crac 1638
27. Gratulatio Jll. ac R.mo D.o Stan. Grochowski Archiep. Leop. a Mathia Głębocio Cr. 1635.
28. Lechopædeia seu in verna renov. stud. acad. Oratio a Steph. Niszczycki Cr. 1638.
29 Gratiæ nuptiales Cl. et Exc. D. Stan. Spinek &c. a Joan. Cynerski
30 In occursum Ser. Pot. invict. Princ. Vlad. IV. &c. Acad. Zamoysc. votum. 1634. Petrus Trzebinski
31. Joppes votum p felici et exopt. incolum. Adami Opatovii a Joach. Speronowic Cr. 1638.

Authores

Alnpek Valerian.	21.	Millerus Lud. Christoph.	19
2 Aurimontanus Eliseus.	5.	Niszczycki Steph. —	28.
1 Anonymi.	16, 18.	Nowakowski Adamus.	20.
Canevesi Thomas	8.	Oszędowski Stanislaus	3, 25.
Cynerski Joann.	12. 17. 29.	Otrebusz Daniel —	11
Deoyen Albert.	1.	Paris Joan. Albert.	10.
Fatowicz Nicol.	9.	Prylutski Balthas. Stan.	13, 14, 15.
2 Głębocius Mathias	27.	Samborski Albert.	7.
1 Gąsiewski Nicolaus	23.	Nowikowski Nicol.	6.
Grynwaldt Joann.	26.	Speronowic Joachim.	2, 4. 24. 31.
Lawrinowicz Mikolay Franciszek.	22.	Trzebinski Petrus.	30.

ACROAMA
PIETATIS.

Ad Festum Nuptiale,

Illustrissimi Principis ac

Domini, Domini,

ALBERTI STANISLAI

RADZIWIŁ

S. Rom: Imp: Principis,

Ducis in Olica, & NIESWIEZ,

Magni Ducatus Lithuaniæ,

CANCELLARII,

Pinscen: Mæuen: Caunen: Tucholien:

Velonen. &c. &c.

CAPITANEI,

ET

Lectissimæ Virginis

CHRISTINÆ LVBOMIERSCIÆ

Illustrissimi Domini,

D. STANISLAI LVBOMIERSKI,

Comitis in Wisnicz,

PALATINI & GENERALIS CRACOV. Zatorien: Scepusien: Dobcicen: Białocerkieuien. &c, &c.

CAPITANEI,

FILIÆ Charissimæ,

A

M. IOANNE CYNERSKI Rachtamouio, Coll. Min. Ord: Eloquen. Profess. auspicatiss: gratulationis ergô

D. D. C. ꝙ



Inſonuêre tubæ, reboat clangoribus æther,
Conſcia Connubij, Fama perennat opus.
Ales quæ ſummi geſtabat terga Tonantis.
Virginis in thalamum deuolat ingenuæ.
O pullos vtinam, ad Sreniauæ flumina Solis,
Opponat radijs, progenieḿq; ferat.

Ioannes Carolus Kopeć, Caſtel: Nowogroden: Stud: Eloquen:



Nympha triumphatrix patrio de flumine ſurgit,
  Vt dulci reparet fædere Connubium.
Quod Fauni Dryadeſq; probant, facileſq́; Napææ,
  Vandalus hoc deînceps omen ab ore refert,
Nympha caput tandem fluuialibus erige ab alueîs,
  Qui Ioue dignus erat, te vocat ales! abis?

Baſilius Kopeć Marſalci Lidcn̄:
F, Eloquen: Stud:

OMEN
FESTI NVPTIALIS, QVOD
In diem Dominicam SS. Triadis incidit.

Hactenus igniuomos vibrabat Iuppiter æstus,
  Nec sitiens pluuijs aura rigabat agros.
Sed Sreniaua parens mitissimus imbuat imber
  Mane inquit, Sponso dum mea Nympha datur,
Ne tamen inficiat festum nimbosus Orion,
  Mane pluat, totus sit sine nube dies.
Inde cadit matutinis gratissimus horis
  Imber: dat placidam Phæbus ab axe diem.
Sponse nimis dilecte Deo, cuî militat æther,
  Atq; polus properum currit in auxilium!
Cuncta fluunt tibi fausta velut de diuite cornu
  Auspicijs tantis nonne beatus eris?

Stanislaus Oltarzowski Stud: Eloquen:

ACROAMA PIETATIS.

SOlennis iste Tuus sacrarum apparatus Nuptiarum, in summa gestientium animorum lætitia, etiam à me tesseram pietatis exigit auspicatam Illustriss. PRINCEPS. Nimirum inter tantas gratulantium amicorum Voces, me ingratum colere nefas est Angenoræ Deæ silentium: cum in publico sapientiæ Prytaneo, vox laboriosi nunquam silere debeat Professoris. Quis enim gratiosiùs Hospitam pietatem, quàm officiosus pietatis alumnus adorare potest? Meritò verò quem primo magnum & desideratum salutare debuimus Hospitem, nunc hilarem tandem, propensis votis veneramur Sponsum. Cui faustas etiam geminamus gratulationes, ne parum liberalis humanitatis rei coarguamur, qui pro magnitudine beneficiorum, grati animi significationem fouere debemus sempiternam. Duplex igitur hoc nostrum officium pari compensamus obsequio & fide: cum in vtroq; communis læti-

tiæ certissima resideant argumenta. Ignosces autem quæ Tua est humanitas Illustriss: PRINCEPS, si in summo cœli fastigio collocatas, homo stratus humi, & depressus, à longè tantum Tuas, Maiorumq; Tuorum suspexero virtutes; quas bonæ Famæ Genius, in Capitolium æternitatis euexit, & vendicauit sibi. Neque enim nisi perspicax Aquila fontem luminis, irretortis oculis scrutari potest Solem; quem cæteræ, quæ circa terram duntaxat volitant auiculæ, vix inuolutum nube aliquando contuentur. Ingens est & Augusta Gentis Tuæ Maiestas, summa meritorum gloria, eximius lucentium virtutum splendor, quem nutantes conniuentesq; oculi ferre non possunt. Proinde dum ego ad festum Sacrarum Nuptiarum, Acroama pietatis, non tam verbosa linguæ volubilitate, ad aurium titillationem, quàm prompta officiosaq; mente, ad veritatem propono, & ex Tuis meritis amplissimis conficio, oro obtestorq; Te Illustriss: PRINCEPS, vt tantisper dum legis eruditus esse desinas, scientiam deponas, beneuolentiam induas, & illam amænissimam, quâ gratissimas colis Camænas, gratiam. Enim-

uero

uero assentationis suspicione nunquam laborare potest, qui pietatis dotes suspicit: nec verâ gloriâ carere, qui hanc virtutem exercet, quæ suo lumine cæteras omnes illustrat. Pietas est equidem, non ille Gordius, quem terrarum domitor ferro scidit nodus, sed indissolubilis virtutum nexus, quo maximè heroicæ mentes constringuntur. Pietas est diuini timoris & amoris, tanto iustior, quanto liberalior propagatrix. Pietas est moderatrix rationis, lumen animi, perfectæ magistra vitæ, solidæ parens gloriæ, fons & origo Sapientiæ, fælicitatis illius anchora sempiternæ. Nam mentis innocentiam Deo consecrat, rationem hominis in cœlestium contemplatione mysteriorum defigit, radijs diuinitatis illustrat iudicium, morum constantiam, vitæque probitatem retinet, Veræ Religionis tuetur & promouet dignitatem: omnia denique quæ hoc mortalitatis orbe continentur, incerta, fluxa, & euanida iudicat. Hæc est illa virtus, quæ quid æterno Numini, quid Patriæ, quid amicis, quid sibi quisque debeat ostendit: qua sublata (vt Suadæ medulla Tullius non dubitauit affirmare) fides, & societas generis humani, & Iustitia

De natura Deorũ lib: 1.

Marsilius in Euthi phronē. stitia tollitur. *Præcedit verò (vt sapientissimis viris placet, pietas sanctitatem, Religio sequitur. Nimirum pietas summi Numinis adorat maiestatem, sanctitas illius beneficia contemplatur, Religio conseruat mysteria, & ab omni aduerso tuetur impetu.* Franc. Piccol. gr. 4. c. 35. *Virtutes (ait Petrus Chrysologus) si separatæ sunt dilabuntur. Penes Deum, nec pietas sine iustitia est, neque sine pietate Iustitia. Sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Æquitas sine bonitate sæuitia est, & Iustitia sine pietate crudelitas. Ut verò Theseus beneficio Virginis Ariadnæ, ferox illud domuit monstrum, & perplexas Labyrinthi vias euasit, fælix futurus, si nunquam ingratus erga suam conseruatricem extitisset: Sic heroicus animus præsidio pietatis vbique tutus est. Etiam si fractus illabatur Orbis. Fœlices & beatos tanto patrocinio Diuæ, cultores Principes! miseros desertores & ca-* Coñ Nic. Machiau *lamitosos, quis negabit? Fremant licet omnes cum Florentino impostore ardeliones, pietas Regina Virtutum est, & Principum decus. Qui vellicant illius Maiestatem, vel auersantur lucem, lip-*

pi sunt,

pi sunt, imo cæci tenebriones: digni qui in Neronis pugiones incumbant. Vbi non est pudor (ait togatæ Sapientiæ Princeps) nec cura Iuris, sanctitas, pietas, fides, instabile Regnum est. Vti in Helicen suam, aut Cynosuram intuentur nauiculatores: ita subditorum mentes oculique in illos, quos in sublimi posuit Superum fauor. Quibus in dextera summum ius est, & potestas, illustriores illis pietate sint oportet, quibus imperant, ne grauiùs obsint exemplo. Veræ pietatis summa vis est, vt quæ rectrix vitæ Principis, perturbationum optima gubernatrix, in aduersis solatium, frænum in prosperis, vnica & inuicta mentis Domina, iuris imperatrix. Pietatis est informare Custodē suum, non custodis illâ tanquam Lesbiâ regulâ, vti. Flecti ad eius præscriptum debent Principes, non hæc illorum arbitrio fingi, & refingi. Non eget humanis artibus hæc Dea, nedum Sinonys, vt adolescat; ipsa sibi sufficit, & incrementa sua, à se sola petit. Optima sunt igitur firmamenta Principatus, quæ cum pietate cohærent, fides, probitas, Iustitia, sanctitas, & recti tenax simplicitas. Hoc sempiternum pignus

est

est Illustriss: PRINCEPS Aquilæ Tuæ gentilitiæ, vt cœlum scrutetur, Solem diuinitatis contempletur, nec ad radiorum vibratorum vim, oculos auertat deorsum. Vnde nefas est alibi, quàm in Cœlo, Maiores Tuos quærere. Cœlum illorum proprium domicilium est; hæreditaria possessio, æternitas beata. Possederunt illi quidem latissimas in terris regiones, & quæ ad arbitrium Fortunæ fluunt ac refluunt opes; sed his pretiosiores, & grandiores animas è Cœlo hauserunt, heroicisq; pectoribus incluserunt, quasi Soli pro Cœlo contra Gygantes pugnaturi. Ita suæ pietati, nullos fines fixerunt, nullos terminos posuerunt: quia Deum maiorem mundo, altiorem Cœlo, profundiorem abyssis adorarunt. Pro cuius gloria vias omnes inuias, omnes æternitatis recessus, penetrarunt, lustrarunt, superarunt. Nulla sæcula, nulla maiorum series, nullus auorum atq; atauorum numerus & ordo, tam sanctæ diuinæque virtutis fuit expers. Bella maxima, imo prælia recenseamus, Tuæ Gentis Illustriss: PRINCEPS, primi Duces & authores, tesserâ pietatis, tóties fœlices & victores extiterunt, quoties manus & arma

vi-

vibrarunt in hostes. Quorum nomina titulosque inquirere profectò videretur operosum, nisi prouidæ Mineruæ stylo, in annalibus æternitatis essent inscripti. Quanquam quis tam diuino præditus est ingenio, vt singula bellatorum vestrorum merita, laboresq; satis cumulatè possit effingere? Ergo dum per illa deserta & inhospita tésqua, cruda eijceretur superstitio, à VLADISLAO IAGIELONE Lithuaniæ Apostolo, Academiæ nostræ excitatore & Parente, constat tum quoq; Magnanimum vestræ Familiæ propagatorem RADIVILLVM, cœlestem pietatis adorasse lucem, & in sacro baptismi lauacro D. NICOLAI nomen, fælici omine accepisse, Palatinumq; Vilnensem fuisse. Quid primum in eo Viro admirer? an in laboribus bellicis patientiam? contra perduelles Crucigeros, contra Scythas & Moschos, multos per annos fortissimè pugnauit. an in victu frugalitatem? vel parsimoniam in potu? Simplicibus vescebatur cibis, totâque vitâ fuit abstemius. An rerum gestarum gloriam? post VILKOMIRIENSEM de Liuoniensibus partam victoriam, totius exercitus Lithua-

Gen: D. Simonis Starouolscii bell[illegible] Sarmatiæ

Nicolaus Raduilus Palatinus Vilnen:

thua-

thuanici Ductor fælicissimus proclamatus est. an denique corporis robur vel ætatis præstantiam? Centesimum ille Heros annum superasse dicitur. Sed in illo maximè suspicio & admiror pietatem, cuius beneficio istas omnes dotes lucratus est. Nimirum cum labores sustinuit grauissimos, hostes vicit acerrimos, spolia decerpsit opima, victus moderationem naturæ conuenientem seruauit, quid aliud egit? nisi pietatem in se ipsum, Patriam, Deum, probauit, & exercuit? Magna fuerunt hæc propagatæ pietatis documenta, sed non minus illud laudabile, quàm imitandum, quod erga suum Patronum voluit esse declaratum: cum pios posteros religioso obstringeret Sacramento, vt D. NICOLAI *nomen meritaque, deuotione recolerent singulari: quasi Cœlestem illum* Indigetem *vellet moriens, in tabellas testamenti inscribere, hæredemq́ facere. Ergo tantum pignus pietatis, studiosè admodum retinet Gens* RADIVILLIA; *neque solum nomine quod (inter posteros primogenitus quisq́ sortitur) gratam Patrono exhibet venerationem; sed etiam liberalitate in egenos, munificentia in hospites, magni-*

ficen-

ficentiâ in templis ornandis, hæreditarium tuetur & promouet bonum. Nullus è Gente RADIVILLIA *repertus est, à quo non fuerit, aut templum magnificum erectum, aut xenodochium amplissimo prouentu dotatum. Quam indolem ab hoc primo* NICOLAO RADIVILLO *(qui Vilnæ Monasterium S. Georgij construxit) iure hæreditario posteritas possidet. O magnum potentis pietatis miraculum! Ab vno fonte tot fluuij, ab vna radice tot rami, tot arbores, tot ab vna pietate virtutes, deriuantur? Nam pietati prouidentia, solersq; consilium, consilio adnexa est animi constantia & fides, fidem sequitur fortitudo, fortitudinem temperantia, & rerum omnium modus. Hic verò cognatione quadam allicit humanitatem, humanitas munificentiam, munificentia magnanimitatem, ex qua iam nascitur inuictus ille & heroicus animus, in tuenda & Religionis, & legum libertate. Atq; hæ quidem virtutes omnes, Duce pietate, in amplissimam Domum Tuam Illustriss:* PRINCEPS *commigrarunt. Nam quid ego commemorem Maiores Tuos in vniuersum omnes, cum hanc sibi ven-*

dicent gloriam ſinguli. Æmilij quidem Lepidi, ſtatua bullata & intincta prætextâ, in Capitolio poſita fuit, quod is penè puer, hoſtem interemiſſet, Ciuemq; ſeruaſſet: ſed ille tamen præcocis fortitudinis, vnum exemplum dedit, ne vnquam poſtea victor, in vrbe triumpharet. Felicior nominis & paternæ virtutis hæres, NICOLAVS II. *qui in ipſa pueritia, miles fuit Patris Imperatoris, & inter infeſta hoſtium agmina fæliciter adoleuit, vt eſſet victorioſiſsimus triumphator. Non illum puerum diſtricti gladij, non vis telorum, non irruentis Equitatus fragor, non concurrentium exercituum impetus, non alalagmus barbarorum, cæteraq; quæ bellatoribus etiam fortiſsimis incutiunt metum, terruerunt. Properauit fortiter faciendi celeritate ad gloriam, ne ſolus celebraretur laudibus, apud Romanos Æmilius Lepidus, aut apud veteres Polonos Boleſlaus* CRIVOVSTVS. *Ille igitur contumaces Pruſſos ſub* CASIMIRO *Iagellonide contudit; ille pellaces tumidoſque Moſchos, virtute fregit: ille eorundem vecordiam, ad* HOMLIAM, *dubium fælicioribus ne conſilijs, an forti-*

Val. Max lib. c. 1

Nicolaus II. Palat. Vilnen.

Crom. lib. 5. fol. 67

oribus

oribus armis refutauit. Sed vt in puero Æmilij Lepidi indolem, ita in Senatore, Q. Metelli fælicitatem suspicio. Plures tantæ beatitatis officiosi scriptores, numerant gradus, vt stuporem excitent. Quasi verò sine stupore non possit conciliari fides: aut sine admiratione veritas? Val Maximus lib: 7, c. 1.

Nasci Metellum (*ait ille*) in Vrbe terrarum principe Fortuna voluit: parentes nobilissimos dedit: adiecit animi rarissimas dotes, & corporis vires, vt sufficere laboribus possent: vxorē pudicitiā & fæcūditate cōspicuā cōciliauit. Consulatus decus, Imperatoriam potestatem, speciosissimi tituli prætextam largita est. Fecit, vt eodem tempore, tres filios consulares, vnum etiam Censorium, ac triumphalem, & quartum prætorium videret. Vtq; tres filias nuptum daret, earumq; sobolem sinu suo exciperet. Tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis deniq; gratulationis summa abundantia; cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Cœlum

 con-

contemplare, vix tamen ibi talem statum reperies! Hunc autem vitæ actum, eius consentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum vltimæ senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis, inter oscula complexusque charissimorum pignorum extinctum, filij & generi humeris suis, per vrbem latum, rogo imposuerunt. *Hæc pro more suo gloriosus pronuntiat ostentator. At cur Catinij Labeonis Trib. Pleb. nullam facit mentionem? à quo iste noster beatulus, reuertens è campo, in ipso flore dignationis suæ, meridiano tempore, vacuo foro, & Capitolio, ad Tarpeium fuit raptus, vt præcipitaretur? An parum fuit pœnarum, è faucibus intortis, per aures sanguinem expressisse? An parum inuidiæ Scipionem Africanum sensisse inimicum?* Nulla est profectò solida fœlicitas (*grauissimus vir exclamat*) quam contumelia vlla vitæ rupit, nedum tanta. *Qui enim potuit esse felix? qui fœdâ superstitione vitam habuit inquinatam? Fœlicior* NICOLAVS RADIVILLVS, *qui suam vitam ad amussim paternam formauit, nemini similior quam*

Plinius li. 7. c. 44.

Pa-

Patri. nullius fælicitatis sortem desiderauit, hæreditariâ virtute contentus & beatus. Nam exemplo Patris, non nisi frigidâ sedabat sitim. qui tamen ne esset ætate Patri par, vno minus anno vixit; nec nisi ad nonagesimum nonum, vitam mortalem produxit, credo vt celeriùs ad illam immortalem properaret: quâ, optimè meriti de Patria Ciues, perfruuntur. Quod si beneficio filiorum, omnibus numeris absoluta, victoris Macedonici fælicitas nominari potest? NICOLAI *tamen* RADIVILLI *Superior est. qui sub* SIGISMVNDO I. *Rege Pol: præcipuarum prouinciarum Rectores, virtute conspicuos eloquentiâ præstantes, consilio potẽtes, Filios quatuor sibi vidit asidẽtes in Senatu. Illud autem quantæ fælicitatis est argumentum, quod à* VLADISLAO *Iagellone incipiens, ad* SIGISMVNDVM *vsq; eius nepotem, sex Regibus Pol: toga pariter ac sago fidelem semper ac strenuam operam præstiterit? bella maxima sustinuerit, victorias tulerit, triumphos geminarit gloriosos? auctoritate Senatum, consilio Patriam, amore & beneuolentia Ciues, beneficijs Ecclesiam; iuuerit, auxerit,*

rit, erexerit, propagarit? Sed quantumuis maxima fælicitatis encomia numerauerimus, inferiora tamen pietate iudicanda sunt. Memor est suæ indolis pietas, nullibi magis quàm in heroico pectore suam exercet potentiam: & sic in orbem perfectionis perpetua reuolutione decucrit, vt nunquam conquiescat. Nouum & inauditum profectò Religionis illud inventum fuit, vt Filius Patris sui Confessarius esset, & nullus ad tremendum sacrificium Filij minister nisi Pater. Hanc mirabilem exercuerunt pietatem is ipse NICOLAVS RADIVILLVS & ALBERTVS *Filius, Episcopus Vilnensis, vulgo Elemosijnarius nominatus. Cuius solennis erat consuetudo, singulis diebus, non prius cibum capere, quàm pauperibus ad mensam ministrasset. Fælicem Patrem tanto Filio, & Filium Patre tanto beatum. Quanta conscientiæ puritate nituerit Pater, quam liberè scrutari potuit Filius iudex? aut quâ innocentia Filius, quam luce palam voluit honorare Pater. Sūma fuit in Patre animi submissio, magna in Filio máiestas, & auctoritas, sed quam Spiritus obedientiæ temperauit. Tum etiā*

notiua

natiua nominum reciprocatio immutata est: cum Filius honoraretur à Patre tanquam Pater: & Filij præceptis obtemperauit Pater, quasi Filius. Nouo vterq; experimento perfectus: vt nemo Patris Fabij, à Senatu missi ad Filium, desiderauerit vocem. Non ego Fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere. *Sciebat Pontificem agere Filius, ideo satis honorificè habitus est à Patre* RADIVILLO. *Ergo cum plenus meritorum & diuinæ benedictionis Pater (in illo templo quod Religiosæ Familiæ Viris, de obseruantia S. Francisci Vilnæ erexerat) mortalitatis exuuias deposuisset, etiàm Filius, tædio Patris absentis absumptus, properé in cælum euolauit. vt vterque communem Conditorem, communi prædicatione augustius adoraret. Et hi quidem ad Cœleste Capitolium magni Indigetes commigrarunt, sed tertium eius nominis reliquerunt in terris* NICOLAVM, *Paternæ fraternæq; pietatis imitatorem studiosissimum, Patriæq; propugnatorem acerrimum. Qui* Nouogroden. *primum mox Vilnen.*

Liuius lib: 24.

Nicolaus Radiuillus Pal: Vilnen:

Palati-

Palatinus, quam fortiter oppugnauerat Pater, HOMLIAM arcem, loco munitam, vallo muroq; prævalidam, intra paucos dies expugnauit: Moschorum XV. millia ad internecionem fudit, illorumq; Ducem Ouczinam cæpit. STARODVBVM Vrbem insolentem, & suis opibus nimium fidentem ac tumidam, vt mortalem se deinceps sentiret, in Cineres redegit & fauillas. Tantis rebus gestis gloriosus, Regiq; SIGISMVNDO I. charissimus, in illo celeberrimo VIENNENSI Regum Conuentu à MAXIMILIANO I. Imp. primus Rom. Imp. Princeps declaratus est. Sed tantus honor in eius animo, non fastum, sed modestiam, non insolentiam ad aliorum contemptum, sed Comitatem, clementiam, humanitatem maiorem auxit, & propagauit: vt illùm quisq; meritò potuerit non hominem, sed ipsam viuam humanitatem appellare. Non quieuit pauperes mensæ suæ admouere, afflictos erigere, cæteraque opera pietatis exercere. Si quando (vt fit) in medio strepitu armorum, vel difficultatem longitudinemque viarum, non neglecta sed impedita fuissent, toto illo tempo-

tempore, quasi grauiter deliquisset, Seuerus debiti castigator officij, in pane & aqua ieiunauit. Cuius frater GEORGIVS, *Moschum ad* Starodubum, Radogostiam & Smolenscum *cecidit: vltra* Vesmam & Dorohobusum *vltrices flammas sparsit:* Mozyrum, Turouiamq; *ab iniquissimo Possessore* Glinscio *postliminio recuperauit: Petrum denique* SVISCIVM *cum XXX. millibus Moschorum ad* VLMAM *profligauit, fœlicissimus triumphator; & Augustis Filiæ Nuptijs gener Regis gloriosus. Quid de* IOANNIS RADIVILLI *meritis dicam? Quartus ille* NICOLAI II. *fuit Filius. qui litteras ætate prima necessarias, & ex vsu suo attigit: ne animus ad res tantas, quantas gessit, & militiæ laborem, torpesceret. Ergo victorias auitæ memor pietatis, ieiunijs & Orationibus parauit. Cum verò religiosis peregrinationibus intentus esset (nam Basilicam Principum Apostolorum sub Iulio* II. *Pont: Max: visitauit) sæpiùs quod magis est mirabile, vicit, quàm pugnauit? Inter cætera trophæa* Michaeli Glinscio (*antequam perdidisset fidem*

Georgio Radiuil Castel. Vilnen:

Ioannes Radiuil. Trocen Castell &M:D:L Marsal:

 per-

perduellis) insigni victoriæ de prædatoribus Tartaris, ad Klockum manus accomodauit. Cuius

Nicolaus IV. Radiuillus.

Filius NICOLAVS IV. adolescens totam penè Europam lustrauit, in exercitu victoriosi Patris, militiæ rudimenta deposuit: Liuoniam ab infestis impetitionibus vindicauit: Albertum ex Marchionibus Brandeburgicis, Gothardumq; Magistrum Crucigerorum Generalem, in celeberrimo conspectu Senatus Vilnæ, cum speciosis insignibus, AVGVSTO Regi reddidit: ad CAROLVM V. deniquè & FERDINANDVM Cæsares, illustres & magnificas legationes suscepit. Porro summos in Patria honores gessit & expleuit omnes, ne superior quisquam vno RADIVILLO haberetur, cum augusta semper virtus, iusta sibi vendicet retineatq; præmia. Itaq; eodem tempore Supremus in M. D. L. CANCELLARIVS, & MARSCHALCVS, & CASTELLANVS VILNENSIS & DVX exercituum fuit GENERALIS. Quod verò circa portum pietatis fluctuarit, communis illa fuit tempestas, atque Christiani orbis calamitas. Verum

tum tamen ob eximiam quatuor Filiorum pietatem, quis illum reprehendat? Primus eorum peregrinus est appellatus, alter GEORGIVS, Vilnensis primò, mox Cracouiensis Episcopus, qui Sacram etiam purpuram Patrijs honoribus addidit! ALBERTVS verò Supremus M. D. L. Marsalcus, & STANISLAVS Samogitiæ Toparcha, Viri fuere Pacis belliq; studijs, clementiâ, liberalitate longè celeberrimi Patrui Tui; Ill. P. Quis peregrinatorem religiosiss. NICOLAVM CHRISTOPH. RADIVILLVM iustis laudibus satis cumulatè celebrâuerit? Qui labores ætate, studia industriâ, eloquentiam ingenio, honores pietate superauit. Iuuenis admodum ingentes terrarum tractus, summâ celeritate peragrauit, vt se hospitem probaret in terris non incolam. Duo de viginti annos natus, Curiæ M. D. L. Marsalcus fuit creatus, posteaq; ad HENRICVM, è Gallijs deducendū Regem, cum XII. proceribus, à Senatu missus est Orator. Cum verò (qui nunc quoq;, præ vecordia recalcitrāt) sub STEPHANO Bathoreo, insolenter tumultuarentur

Nicolaus V. Radiuill: peregri: Pal: Vil: S. Sepul. Eques. S. R. I. Primus princeps

Gedanenses, *illi* DERSAVIENSI *prælio, vigilans alarum Præfectus interfuit, & alteram victoriæ ne elaberetur alam apprehendit. Quã gratum hoc sapientissimo Regi obsequium fuerit, exitus comprobauit. Nam & supremus M. D. L. Marsalcus renunciatus est, & ad reprimendas Moschorum impressiones, integræ legionis Ductor assignatus. Tantis igitur meritorum præsidijs obfirmatus ad gloriam, virtutum tamen præmia, contemnebat honores, diuitijs hereditarijs animosus. nec à D.* SIGISMVNDO III. CASTELLANVS & PALATINVS *postea* TROCENSIS *nisi inuitus est renuntiatus. Cum verò ingenia heroica, à natura vel potius rerum omnium Parente Deo, eam possideant dotem, vt omnino latere non possint: sic ille ab his regionibus in conspectum orbis, erupit, flamma pietatis accensus. Nam Hierosolymitanæ peregrinationis difficultatem, diligentiâ & labore, laborem patientiâ, patientiam ardore animi, & magnanimitate, magnanimitatem beneficio pietatis obarmauit. Sapientis Viri Ciuitatem, non nemo vocauit orbem vniuer-*

sum

ſum: at exiguum forſan iſtud domicilium eſt illi animo, qui ſublimitate ſua ſupra terræ cœlorumq; tractus eleuatus, omnia tranſcendit, omnia penetrat, omnia ſuperat, vt in ipſo Deo, cuius centrum vbiq; eſt, circumferentia nuſquam, ſecurè conquieſcat. Quàm iucundè, quàm piè, quàm religiosè, quicunq; legimus illas Epiſtolas, peregrinamur omnes, quanquam vno in loco defixi hæreamus. Ita voluit peregrinari, ne ſolus eſſet; ita pietatem colere, vt eam omnis imitaretur poſteritas; quæ vbi ſteterunt pedes Domini, tabernacula ſanctitatis locare deſiderat. Sed tantum beneficium non conceditur otioſis, primò ex illa terra ſancta, turpis armis excludendus eſt Spartacus. Ille itinera luſtrauit, aditus omnes monſtrauit, vias aperuit, calamo deſcripſit: noſtrum eſt vt benè tritis veſtigijs inſiſtamus; ferro illam belluam fœdiſsimam, quæ fraude, ſcelere, immanitate, Patrium ſolum noſtri Saluatoris violauit, iugulemus: ſi pij, ſi Viri, ſi deniq; Sarmatæ ſumus bellicoſi. Quod olim Mutij Scæuolæ fuit ſymbolum, nunc & facere & pati fortia Polonum eſt. Nihil inuium eſt, nihil inacceſſum virtuti, Nul-

lum,

lum diu securum ac ne tutum quidem scelus est. Magna moles grauiori casu corruit. Arbores altissimæ diu crescunt, vnâ tantum horâ extirpantur. Ergo spolijs pietatis onustus, industrius speculator, in Patriam redijt, vt qui sint terrarum tractus, quæ regionum amænitas, quæ soli vbertas, quæ rerum omnium copia, quantus denique ædium sacrarum contemptus, quanta nostræ Religionis execratio, quanta captiuorum calamitas, vltores Sarmatas edoceret, Iisdem rationibus ac viribus, regna postliminio esse repetenda, quibus essent amissa, docent exemplis ingenui custodes veritatis. Prius sceleratus AMVRATHES quam cæpisset CONSTANTINOPOLITANVM imperium totius Græciæ pulchritudinem contemplatus est: deinde inter illos principes, & Imperatorem, egregius (si Dijs placet) Pacis arbiter, bella ciuilia composuit: tandem nostrâ negligentiâ, potentiam suam obarmauit. Sed ne per illas regiones perpetuò peregrinaretur pietas, officiosus aduena in Patrijs illam hæreditarijsq; ditionibus fixit & firmauit. Quid aliud templa magnifica, Collegia splendida,

Paulus Iouius in vita Amurathis I

quam

quam plurima xenodochia iustis dotibus munita, ni-si summam pietatem, eximiam in egenos liberalitatem, diuinæ gloriæ propagandæ ardorem testantur? Cum insignis ille morum & disciplinæ Ciuilis magister villam Scipionis Africani *propè Linternum miratur, gestiens præ lætitiâ atq; voluptate exclamat.* Vidi villam structam lapide quadrato, murum circumdatum syluæ, turres quoq; in propugnaculum villæ vtrinq; subrectas. Cisternam ædificijs ac viridibus subditam, quæ sufficere in vsum, vel exercitus posset. Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Magna ergo me voluptas subit contemplantem mores Scipionis ac nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror cui Roma debet quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum. exercebat enim opere se, terramq; (vt mos fuit priscis) ipse subigebat. *Sed ne sola semper miracula sua loqueretur antiquitas, illustri munere magnificentiæ* NICOLAVS *prouidit* RADIVILLVS, *cum in Niesuiezio propugna-*

Seneca ep 86.

cula-

cula, curiam, templum, Collegiumque Sacerdotum, tam splendido visendoque erexit apparatu, vt spectantium oculi rapiantur in admirationem. Horum tecta nitent aerea, inscriptiones fulgent argenteae, quae verò est in palatio, etiam aurea tabula conspicitur. Ne quid verò ad magnificentiam desideraretur, vias longissimas lapide strauit, arboribusq; frugi, vtrinque muniuit & circumsepsit, vt non solum voluptatem, sed etiam praesto fructus paratos fatigatus decerpere possit Hospes. Vt verò via Appia etiam num monumentis literarum celebratur; sic RADIVILLIAM *apud omnem posteritatem, suspiciendam magnificentiam meritò illi Viarum tractus celebrabunt. Priuatam vitam prudentes & magnanimi Patriae Ciues, intra frugalitatis & modestiae conscientiam alunt, gloriosiusq; putant, illum qui faciat ad Gentis & Reip. Famam in lucem proferre splendorem. Vnde & Viribus corporis valent, & mentis vigorem, memoriae facilitatem, dicendi faelicitatem, quoties opus est, ad vsum accommodant. Tantus nomine, meritis, honoribus, pietate,* Patruus *ille Tuus Illustr:*

PRIN-

PRINCEPS, *parato ad immortalitatem itinere cucurrit, & (quod maximum solatij argumentum viuus habuit) simillimos heroicarum virtutum hæredes, Filios reliquit.* *Quorum* IOANNES & ALBERTVS *Castell. celeri impetu ad immortalitatem euolarunt. Porro Illustriss.* CAROLVS *Eques Meliteń: sacram militiam professus est, vt viuaciorem faceret in terris innocentiam, quam beata sibi vendicat æternitas. Illustriss: verò* ALEXANDER LVDOVICVS *Supremus M. D. L. Marsalcus, meritis, eloquentia, auctoritate, facilè princeps, vt amplissimo Senatui, Ecclesiæ, Academiæ, vna Tecum Illustr:* PRINCEPS, *ad commune rerum humanarum præsidium & solatium, plusquam Nestorea secula viuat, ardentissimis votis omnes Academici Lycæi Ciues comprecamur. Similis enim vos nexus virtutum, qui Parentes Vestros adstrinxit. qui magnitudinem suam modestiâ, modestiam candore, candorem fortitudine, fortitudinem temperantiâ, temperantiam prudentiâ, prudentiam Iustitiâ, Iustitiam pietate, & quicquid huic vicinum est, metiebantur.*

                bantur.

bantur. Fælices tam concordi concentu meritorum Fratres, tantoq; fæliciores illis, quos fabulosa demiratur antiquitas, quanto Sol tenebris, Religio superstitioni præstat. Sed longum est STANISLAI RADIVILLI *Supremi M. D L. Marsalci, magnanimi Tui Parentis, Illustriss:* PRINCEPS *beneficia pietatis recensere, quæ in Regnum, quæ in Reges, quæ in Ecclesiam, quæ in Senatum, quæ in singulos homines, inexhaustâ benignitate redundarunt; ita infinita numero, commodis ingentia, meritis immensa, vt nunquam obliuione gratiam obductura sit, vel multitudo omnium, vel magnitudo singulorum. Agnouerunt illius non pauci Patriæ Ciues, hæreditariam domi frugalitatem, in publico splendidam magnificentiam, in Ecclesiæ bonis propagandis, valde quam propensum & effusum animum: sed maximè quam luculenta & quam constans illius in patriam, & commune ius defendendum extitisset charitas, prudentia, studium, grauissimi labores, quos Marschalcus sustinuit abundè sunt testati. Magistratus is quasi Lydius lapis, magnorum animorum, indolem probat, & industri-*

dustriam excitat. Nam sedare impetus Comitiorum, temperare ardorem ingeniorum, regere animos consilio, auctoritate, Oratione, nutu, non nisi grauissimus & præstantissimus Ciuium potest, quo tanquam Athlante Resp. nitatur. Hic est diuinæ legis custos, moderator & interpres Iustitiæ, arbiter æquitatis, quem omnes velut viuum oraculum intuentur. Neque verò suis commodis, sed vniuersorum Ciuium fœlicitati maximè studet. Ac profectò hæc tam laboriosa sparta, semper demandatur ijs, qui prudentia, auctoritate, eloquentia, pietate cæteris præstant: quod eorum mentes magis diuinum Spiritum concipiant. Quandoquidem consonum est æquitati, vt Princeps vniuersi Deus, per charos sibi homines & beneuolos, suam aperiat voluntatem. An se ipsum regere difficile est, tot homines, tam inter se moribus, & studijs differentes gubernare, operosum non erit? Illud absque diuina opera fieri non potest, hoc fiet humana? Nolunt Poetas absque diuino quodam afflatu, posse bonum carmen effundere, & absque diuino Numine, hominum cætus regi possunt? Est profectò, est

 que-

quædam vis diuina, quæ innocentes animas imbuit, quarum arbitrio res humanæ, ad certum honestatis scopum dirigantur. Vt verò animus tum benè compositus esse dicitur, cùm ratio præsidet, cæteræ facultates inferiores rationi parent: sic Resp. tum rectè administratur, cum prudentes Viri, consilio, opera, fide, illius defendunt & promouent dignitatem. Hinc Themin, *quod nomen Ius Fasq; significat, diuinitatis interpretes Poetæ, modò Iouis, penes quem est summa potestas; modò Solis, qui suo lumine terrarum opèra omnia lustrat; modò cæli ac Telluris filiam esse confinxerunt: quod certis legibus maximi Dei, & naturæ, consistat vniuersitas, quæ Rectoribus populorum committitur. Sed quid ego Phormionem ago, qui ea de re disputo, quam negat nemo, communi sensu approbant omnes. Possum equidem magnanimitatem, possum vigilantiam celebrare, possum æquitatem, Illustriss.* PRINCEPS, *felicissimi Tui Parentis, (habuit enim ille mirabilem quendam omnium virtutum concentum) sed gentilitiam maximè contemplor, & suspicio pietatem; quâ leges adstrinxit, bonum publicum promouit,*

mouit, defendit innocentes, castigauit præuaricatores. Quæ cum singula considero, singula contemplor, summa esse iudico, & immortalia tanti herois bona; sed nullum illustrius, quàm quod Te Illustriss: PRINCEPS, tantorum hæredem meritorum reliquisset. In alienas manus, labor abit paternus, si desit hæres optatus, qui non magis genus promoueat quàm virtutes. Quo cũ dolore amisit vtrãq; spem orbatus Filijs Teczynius. Crac: Palatinus? In ludis quidem Circensibus, multi cursibus certabant, sed alij in carceribus ad metam properabant, alij metam tangebant & Coronas. Ita victores alij futuri, præsentes alij iudicabantur. In currentibus nihil tardum, in cessantibus, nihil præceps designabatur. Hoc cursu maiores Tui certarunt, metam attigerunt, prensarunt Coronas; & Tibi benè tritam vestigijs viam reliquerunt. Tu verò Illustriss: PRINCEPS, à primo flexu tenerioris ætatis, non minus alacriter quàm fortiter, huic itineri insistis, & merita meritis, labores laboribus, virtutes virtutibus aggregas gloriosas. Agitatur adolescentia turbinibus suis: Tu Tuam

pudo-

pudore, modestiâ, pietate firmasti: vt etiam optimæ spei NICOLAI *natu maioris Fratris (quem properantem ad metam gloriæ, mors inuida subtraxit) vices suppleueris. Miseri sunt, qui literarum cum pietate diuortium faciunt: fælices & beati qui bonum vtrumq; possident. Neq; enim, aut animus corpori, aut ratio cupiditatibus laudabiliter imperitarint, si animus & ratio ipsa Deo seruire nescierint. Hic est fructus pietatis, hæc regula eruditionis, tantorum bonorum Conditorem, sanctè nosse, religiosè venerari, piè colere. Omnis perfectio, à diuina hac virtutum moderatrice emanat, & in illa consistit, & ad illam reuocatur. Cætera intellectus supellex, extra illam est, tam certè, quàm opes, quàm honores, amici, & vniuersus fælicioris fortunæ Comitatus. Quem etiam grauis Ethnicorum Philosophorum Senatus à sapientia, hoc est, plena perfectaq; probitate, neque excludit si adest, neq; si abest magnopere desiderat. Amat quispiam verborum floribus distinctam orationem? bene est: sed caueat ne vitiorum maculis aspersa sit vita. Astrorum perpetuas conuersiones contemplatur? laudo*

inge-

ingenium: ſed cogitet illinc ſibi datum animum; illic Domicilium collocandum. Percipit quomodo inter ſe acutæ grauesq; voces conſonent? faciat potius vt animi cum cupiditatibus, ſit concors harmonia: vt neque frons à mente, neq; ſupercilium à candore, neq; à vultu ſermo diſcrepet. Nihil inſolens, nihil curioſum, nihil importunum, nihil niſi quod ſit diuinæ gloriæ accommodatum Pietas admittit. Animi ſubmiſsionem, non faſtum, vitæ probitatem, non inſolentiam perdocet. Facilè diſcere incipit, qui neſcire ſe prius didicit; nec mentis innocentiam, vel leui ſuſpicione tumoris inflammauit. Facilè eruditionem conſequitur, qui fontem ſapientiæ nouit adorare. Colles camporum & tumuli, ſublimiores ſunt infra, quàm vt fontes eos attingant: planities verò campiq; ſubſidentes, lenibus aquarum ſcatebris irrigantur. Eodem modo veram ſcientiam excluſit, qui puras pietatis aquas, in animum non admiſit. Inflat eruditio vel modica, niſi à pietate rationis moderatrice regatur. Suauis eſt ambitio, non oppugnat animum, ſed mulcet; non ducit ſed flectit: non trahit ſed titilla-

 tione

in ea natus est. At ille verè natus est, qui commune bonum ingenio, industria, amore, pietate, tuetur. Cum enim per se studia literarum sint vtilia & iucunda, & vsibus Reipub: necessaria, tum lumine pietatis illustrata, maximum cultoribus suis adferunt ornamentum. At pietatis alumnus animi colit submissionem, beneuolentiam in omnes, humanitatem in singulos. Nec inferiores despicere didicit, ne in mortalibus immortalem diuinitatis imaginem, contemnere videatur. Gratior est in heroica indole, magnanimitate temperata simplicitas: nec ab animi magnitudine (vt temerè quidam putant) humilitas discrepat. Cum enim (*ait Syluensis Episc.*) humilis ideo se non magnificiat, quia maiora quædam intuetur: restat vt intelligamus, illum esse magno animo præditum: superbum autem & insolentem, minuto & angusto. Satis enim constat, nunquam à rebus exiguis, ad amplas & magnificas animi aspectum retulisse. Nam si id fecisset, nunquam tanti se ipsum æstimaret. Est enim hominis, Christiani munus, non modò mundi

Hieronymus Oso: lib: 5 de gloria.

orna-

ditio laboris patientiâ, modestiæ industriâ, pietatis curâ, comparatur. Hanc solidiorem, quisquis non ostentat possidet: quisquis non venatur apprehendit. Quicquid fluxa præoccupat opinio, bono exitu caret, & fide. Nulla ostentatio diuturna est; nulla simulatio, fructum lucratur eruditionis. At verò Tu Illustriss: PRINCEPS, summi Creatoris arbitrio, Parentumq; beneficio, indolem naturæ sortitus es optimam, quam à tenera ætate, illi maximè otio consecrasti, in quo maiora egisti & pulchriora, quàm quæ reliquisti. Reliquisti torporem ignauis, luxum perditis, insolentiam desperatis. in omnibus verò Tuis studijs & actionibus attentè animoseq; perlustrasti, quid deceret. Hæc Tibi diuinitatis adiuncta fuit fælicitas, vt iam inter prima elementa virtutis, & dignitatem Tuam, & publicam spem possideres: & grauiores animo, quàm ætas pateretur volueres cogitationes, memor vbiq; Tui Creatoris. Quanta illius esset potentia, pietas, pulchritudo, maiestas, è cœlo, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem Sole lustratur, percepisti. Mensus es, anni totius per vices mem-

bra diuisa; & dies cum noctibus, per horarum spatia digestos; & terræ molem libratam cum montibus; & proflua flumina cum suis fontibus; extensa maria cum suis fluctibus, atq; littoribus. Interim constantem pariter summa conspiratione nexibusq; concordiæ mundum, in omnibus partibus incolas proprios, in áere auem, in aquis piscem, in terra hominem recreantem. Cuius beneficio Ver hyemi, æstas veri, autumnus æstati, hyems autumno succedat? Cuius beneficio, terra vireat? arbores frondeant, aurum, argentum, cæteraq; in visceribus terræ metalla, generentur? Cuius beneficio protensus áer medius, tenuitate suâ cuncta vegetet, nunc imbres contractis nubibus profundat? nunc serenitatem raritate luminis perspicuâ reuocet? In his omnibus, veneratus es spiritum per omnia commeantem, & singulis vniuersi partibus quasi accuratissimè lyræ fidibus intentum, qui fluentium rerum canticum, iucundissima varietate temperat, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus ipse sibi locus, & orbis. Cui spirans omnis intelligensq; natura, & habere & agere non desinit vnquam gratias immortales.

tales. Ac ne nostræ duntaxat Academiæ vmbraculis, Tui præcellentis animi vis circumscripta teneretur, exterorum etiam gimnasia quæcunq; doctissimorum virorum laude florerent adijsti. Ut enim plantæ, interdum si transferantur fælicius surgunt: sic ingenia heroica cum fructu plerumq; Patriam relinquunt. Neque solum eximiam in omni genere scientiarum consecutus es Illustriss: PRINCEPS eruditionem, sed & famam. Quisquis enim nobilissimus est, latere non potest, quisquis patriæ addictissimus, latere non debet. Itaque humanitatis & sapientiæ Tuæ splendor, omnium oculos perstrinxit. Quo Te cunque dares, omnes industriæ Tuæ acumen, intelligentiæ perspicuitatem, comprehendendi facilitatem, rerum omnium copiam & verborum vbertatem, suspiciebant, prædicabant. Tu verò non popularem auram, sed illustris eruditionis fructum quæsiuisti: genium nationum, ingeniorum vim, morum dignitatem, victus moderationem notasti, obseruasti: tantisque dotibus abundè instructus, maturè Tibi in patriam, redeundum putasti. A libertate non potest esse alienus is, qui

tione defricat. hac præsertim ætate, quæ velut cera mollis est, & in deteriorem partem sequax. Fauet illa sponte & patrocinatur sibi: neque admirari se priùs incipit, quàm alios despexerit. In lacu vanæ gloriæ, pulchellus Narcissus se se contemplatus est, sed vt simul imaginem formæ vidit, periijt miser. Quanquam quî verè videre potuit, qui se ipsum non agnouit?

Credule quid frustra simulachra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam: quod amas auertere perdes,
Ouidius lib: 3. Metamor Ista repercussæ, quam cernis imaginis vmbra est.
Nil habet ista sui, tecum venitque manetque,
Tecum discedit, si tu discedere possis.

Hæc imago adolescentiam deludit, instuit suauiter in oculos, sed infascinat mentem; iuuentuti leniter adblanditur, sed citò decipit. Vix apparet vincit: priusquam prouocat, triumphat. Quanquam spolia quæ suis tholis affigit, non alia sint, quàm fumus, & vmbra. Non cadit in tumidum animum vera scientia. Echo non in vocem abit, sed in sonum: Narcissus in florem mutatur. Omnis eru-

ditio

ornatum, & magnificentiam intueri, sed longè altiùs extolli, naturæque totius architectum assiduè contemplari. sic igitur fit, cum animus in corpore manens, è corpore tamen studio & agitatione mentis excedit, & quoad fas est, diuinæ virtutis lucem videt: vt se repente suaque omnia, & quicquid antea amplum, & illustre censebat, humile & obscurum iudicet; nihilque in vita pulchrum & honestum existimet, quod non senserit esse claritate illa diuini luminis illustratum. Omnes igitur humanas opes, siue illæ ad corporis cultum, siue ad ornatum animi pertineant, parui faciens, ita exardescit ad illius diuinæ formæ cupiditatem, vt nihil aliud cogitet, nihil amet, nihil cupiat: sed potius omnibus corporis & animi viribus ad summum illud bonum fruendum incitetur. Hoc autem tam illustri spectaculo, multò clarior in dies, atque altior fit. Cum enim amore Dei flagret, mentem ad illius aspectum ardenter excitat. Quo autem magis illo aspectu, quantum potest in hac vita fruitur, eò

vehe-

vehementius inflammatur. Sic autem euenit, vt progreſsio in diuinæ naturæ cognitione, amorem augeat: amor autem auctus, clariorem in dies cognitionem efficiat: atq; ita tandem homines alia quadam mente præditos, ad ſui contemptionem, quotidie magis iudicat. Auget etiam interim vehementer humilitatem, quod in illa cœleſti luce multa noſtra vitia, quæ antea latebant clarè cernimus: ita vt quo magis immenſam ſummi illius Rectoris, bonitatem agnoſcimus, eò faciliùs noſtræ naturæ imbecilitatem, atq; corruptellam agnoſcamus. Inde autem fit, vt eadem opera, & Deum ardenter amemus, & in noſtri odium quodammodo veniamus. Ergo vt ſuperbia naſcitur ex animo abiecto, & in terram demerſo: ita humilitas ortum habet, ab animo magno, nihil quod quidem non ſit diuinis, & æternis opibus exaggeratum, magnum & excelſum iudicante. Conſiderate igitur quàm excellenti animo ſint ij, quos noſtra loquendi conſuetudine humiles appellamus.

mus. *Hæc & alia de heroica animi ſubmiſsione, diſertiſsimus* OSORIVS *grauiſsimè ratiocinatur. Hæc relucet in Te Illuſtriſſ:* PRINCEPS *heroica indoles, cum animi ſubmiſsione; cum grauitate humanitas, cum comitate, affabilitate, clementia, perauguſta vultus & oculorum maieſtas, mira quadam venuſtate lineamentorum temperata. Non poteſt eſſe alius ingenio, alius corpori color. Animi compoſitionem, pulchra totius corporis conſtitutio indicat. Ingenium amænum, ſolers, placidum; corporis ſanum temperamentum probat; & conſentaneas quæ vtrinq; fluunt actiones. Nimirum neſcit animus Tuus, peregrinum tumorem, eundem tenorem & conſtantiam ſeruat, in ſummis honoribus, ſuperbiam remouet, aculeos non acuit, faſtum excludit, intra comitatis & manſuetudinis ſolertiam dulce imperium bonitatis exercet. Ergo clementiſsimæ Indoli, vota, deſideria, cogitationes omnes reſpondent. At ecce ſtratam ad æternitatis templa viam video, & patentem limitem. Terram faſtidit Aquila Tua Illuſtriſſ:* PRINCEPS, *cœlum cœleſtis ales intuetur, virginem amictam ſole*

F *ſalu-*

salutat & adorat. Non simplici cultu pietas contenta est, cum satis laudare non potest virginem, adorat, & vt adorare possit, laudat. Sic pietatis officium, in Religionis mysteriū commutatur. Quippe Numen infinitum est, nulla cogitatione bonitas eius, nullo sermone magnitudo comprehendi potest. Proxima Numini virgo est, quæ Numen peperit; quæ Deum terris dedit, quæ humana in carne Numen adorauit. Qui verò Deiparam laudat virginem, iam fœlici proximus encomio, ad Deum assurgit. Intelligo pietatem Tuam Illustriss: PRINCEPS, virginis castissimæ beneficio, fœlix esse maluisti, quàm ingenij miraculo. Illustriss Principis deveneratione Virginis Historia *Quanquam & ingenium acuisti, & stylum in laudibus virginis tinxisti. quæ in pectoris intimis recessibus pressisti, quæ vsu cognouisti, ea in lucem exprompsisti auspicatam. Nimirum grauem inferre iniuriam Religioni Tuæ putasti; nisi in Mineruam castissimam aliquod pietatis monumentum reliquisses. O facundum igitur scriptorem, ô fœlicem Historicum, quem tam fœlix pietatis aura imbuit! Quàm elegans & pius scribentis ardor est, tam eloquens Stylus & verus.*

rus. Hallucinamur in minimis, nec se industria vbi que nouit. Erratis authores, oleum & operam perditis, qui scribendi materiam magis mirabilem, quàm veram sumitis, vt populo placeatis. Libertatem vestrã venditis, rem, nomen, famam, adulatione corrumpitis, & virtutem prostituitis ad contemptum. Ea quæ à Philosophis obiecta sensuum vocantur, (*ait Rodolphus*) sunt semina omnis nostræ scientiæ: hæc omnis humanorum ingeniorum iactatio. Ex ijs variè coniunctis, cóàgmentatisq; omnium rerum species, multitudinem, varietatemq; discreuimus. Vt posit dubitare non nemo, querelâne dignius sit, tam in arcto humani ingenij vim esse conclusam, an potius admiratione, quod tàm exiguis initijs, ad tantam rerum inuestigationem potuerit peruenire. *Te potius Illustriss: PRINCEPS Tuamq; quisq; miretur industriam, qui orbi admirandam, sæculis prædicandam, cœlo visendam, ad scribendum materiam suscepisti: atq; Historiæ Tuæ cultu perraro, veritateque manifesta, ad immortalitatem dotes, miracula, & benefi-*

Rodolphus Agricola lib I.C.II

 cia

cia VIRGINIS *Deiparæ præparasti. Quis pietatem & nitorem iunxit aptius? quis facilitatem & acumen ingeniosius? Multi verba habent, sensu deficiunt; multi sensum verbis inuoluunt. Paucos etiam argumenti dignitas euehit. Tu Illustriss:* PRINCEPS, *subtilis & simul pius, ingeniosus & grauis; quia miracula pietati, ingenium veritati, singulas virginis laudibus consecrasti dotes. In templis Oratorum vocem, in terrarum orbe stylum homines admirantur. Ornas templa, imples Sarmaticum orbem, doces omnes cultum virginis illibatæ. Quæ scribis, vim ac maiestatem habent orationis: quæ probas, elegantiam & maturitatem veritatis. Festinent dies, voluantur anni, tabescat natura; hoc volumen quod celebrat laudes Virginis castissimæ, superabit ætates, non mutabit formam, sæcula non exhorrescet. Quo Cœlorum* REGINA *prædicatur libro, non poterit nisi cum Cœlo perire. vel si Cœlum sempiternum est, inter sydera, pio stylo scriptus liber conquiescet. ad gloriam virginis, ad voluptatem Cœlestium Incolarum. Quos etiam*

Horæ Canonicæ

Orationibus, quas religiosæ Cœloq; consecratæ, offerunt

ferunt animæ, quotidie venerari: non magis stylo, quàm Spiritu facundus. Nam ad ordinem rerum quod attinet: horas diligentiâ, menses labore, annos industriâ æquasti; singula dierum momenta, singula temporum puncta, cogitatione præoccupasti, prudentiâ ordinasti, celeritate inuasisti, ne vllum sine pietatis Spiritu flueret atque fructu. Temporis quidem cursum inhibere potest nemo, sed ætate, nisi qui fruitur, vtitur. Vtitur autem, qui per exercitium pietatis, operæ precium facit. Est enim natiua quædam omnibus adiacens vis, quâ cuncta in destinatum, debitumq; naturæ feruntur opus. Quippe author ille rerum, non segne quicquam, aut sine vsu esse voluit, sed cuncta vt essent in officio, certumq; ad finem tenderent destinata, effecit. Similes nos sibi quoque natura esse voluit. Diligentissima est illa mater nostra: sed sine motu, nihil gignit, nihil perficit. Ita cùm vtrumque agit, in neutro tamen cessat. Si posset enim cessare, posset non esse. Nunc agendo semper aliquid, omnia constituit, se tuetur & vindicat ab occasu. Illi quisquis est dissimilis cessat ab officio. Vt enim mo-

Labor in negotiis

tu ſublato natura non eſt amplius: ita generoſus animus, otio non torpeſcit, ſed perit. Teſte cœlo deſidioſus eſt, quiſquis errantes illos, ſupra ſe globos otioſus intuetur. At hunc ego non hominem eſſe, ſed mortis mancipium puto. Fortibus Viris, hoc vno nomine maximè mors grauis eſt, quod in ea quieſcendum ſit. Quanquam virtutis laborioſos conatus, etiam mortui in ſua poſteritate promoueant, & ipſi viuant immortales. Vt in Te Illuſtriſſ: PRINCEPS *Parentes, Maioreſq́ Tui, meritis ampliſsimi viuunt omnes, quorum ingentem imitatione virtutum gloriam effinxiſti. Inde manifeſtâ Numinis prouidentiâ, Rex prudentiſsimus æquè ac optimus, perſpectâ mentis cœleſtis ſagacitate, vitæq́ conſtantiâ, Te potiſsimum Illuſtriſſ:* PRINCEPS, *in partem Curarum aſſumpſit, Teq́ Comitem itineris & negotiorum moderatorem, Sereniſſ:* VLADISLAO PRINCIPI, *ad exteras nationes deſignauit. Neque enim fas erat, vt noſter Achilles Sarmaticus, abſente Chyrone peregrinaretur. Certiſsimum eſt fauoris cœleſtis argumentum ſucceſſus, nec potiore indicio quàm ſecundo*

In exteras nationes res cum Sereniſs VLAD: peregrinatio.

do gestorum euentu, se prudentes viri commendant. Quam insignis enim illius Comitatus, apud omnes fuerit fama? quanta grauitatis, temperantiæ, pietatis existimatio? quantus Sereniss: PRINCIPIS honor & admiratio? quanta Tua Illustriss: PRINCEPS prudentia & auctoritas? manifestis vocibus exterorum comprobatum est. Fælicibus igitur auspicijs, Tuæ fidei creditum & commissum, maximum & sanctissimum Reip. pignus, spem Regni, nominis Poloni lumen clarissimum, Sereniss: Principem omni custodia, cautione, consilio, prudentia vbiq; communiuisti, sospes sospitem Patriæ restituisti. Tantis igitur meritorum accessionibus illustratus, vt simul in patriam redijsti, in lucem Te Reip. dedisti, industriam Tuam communibus vsibus Reip. accommodasti: aulam, Rostra, Senatum, ingenio, industriâ, gratia, firmasti, lustrasti, occupasti: vt nihil amplius requisiuisse potuerint, futuri Magistratus. Adiunxisti enim publicis honoribus, illas dotes pulcherrimas, quas partim ab exemplis Maiorum, partim à natura, partim ob optima institutione, & literis percepisti. Non

in Te

in Te Illustriss: PRINCEPS, Socrates *internum imperium*, Pittacus *concordem amicitiam*, Xenophon *prudentiam & laborem*, Anacharsis *sapientiam*, Diotimus *ardentissimam erga Patriam pietatem desiderauit, quibus bonis iam ante abundasti, quàm ad Remp. accessisti. Itaq; iudicio grauissimo & maximo, prudentissimi Regis D.* SIGIS. III. *tantum honorem consecutus es, quantum ambitiosi vix impetrant. Ornatus es Præfecturis amplissimis, in Lithuania* Pinscen: *in Samogitia* Caunen: *in Prussia* Mæuen: *vt in omnibus partibus Reipub. insignis Tuæ pietatis, prudentiæ, fortitudinis, clarissima extarent argumenta. Quã saluberrimo enim consilio in* Pinscen: *fidelissimos operarios,* PP. Soc. Iesu *induxeris, beneficijs auxeris, Collegio ornatissimo firmâris, exitus comprobauit. Videtur enim iam ex illis locis pulsa barbaries, ignorantia extincta, propagata humanitas, inducta denique amænior cultura morum, ingeniorum, sanctitatis. Tam citò Illustriss:* PRINCEPS, *rigidas illas & aridas regiones, Tuo beneficio, saluberrimus cœlestis institutionis imber irriga-*

Præfecturæ

Coll. Pinscen. S. I

riga-

rigauit, vt fructus producti vberrimi, floreant ad Patriæ, Ecclesiæ, & Tuum solatium. Præfectura verò Caunen: quanquam maxima beneficia agnoscat, sperare tamen non dubitat amplissima, conscia Tuæ benignitatis, quâ semper proficis. Circa Mæuam quis Conatus? quæ Tua industria? quis ardor animi? cum audacissimus hospes instaret, Prussiam inuaderet, in aciem militem educeret, nec solum aperto Marte pugnaret, sed etiam illis cuniculis, quos à mænibus ad animos verterat, blanditijs, veniâ, muneribus? & illi Mæuenses, & fortissimi Patriæ Ciues, experti sunt. Mitto cæteras Tuas expeditiones, mitto prælia cum Moscho, mitto rigidi Martis exercitia, speciminaq; quæ Iuuenis in Melitensi palæstra exhibuisti, & in Patriam intulisti, religiosi etiam instituti bellator futurus, nisi Familiæ retinendæ, ac conseruandæ coëgisset necessitas, Te istam sequi vitæ rationem, quâ immortalis esset posteritate Respub. Venio nunc ad laboriosissimos & grauissimos Tuos Magistratus Illustriss: PRINCEPS, in quibus summa cum nominis gloria, consilium, fidem, sapientiam, cæterasque insignes

Prussicū bellum cum Gustauo

gnes virtutes exprompsisti. Nam primùm PRO-CANCELLARIVS M. D. L. maximo Regis Prudentissimi D. SIGISMVNDI III. iudicio, & omnium summa gratulatione designatus, quid non egisti, quod ad communem vtilitatem conseruandam spectaret? quantum fortunæ, & gloriæ Tuæ amplitudinem, miserorum hominum necessitati, atq; saluti condonares, quis ignorat? Hoc quidem munus illustre in Rep. in cuius tutela salus, & libertas omnium Ciuium continetur; at ex ipsis molestijs, curis, angoribus contextum! Ille ne aliquam libertatis diminutionem Ordo quispiam patiatur, dispicere: ille Euripum popularis multitudinis, in tot affectus identidem assurgentem prudentiâ tenere: ille iudiciorum omnium lites, rixas, contentiones grauissimas & maximas, excipere, concoquere, sedare: ille quibuscunq; diuersorum hominum postulationibus respondere. Dicam breuiter. Procancellarius omnibus debet esse omnia, & singulis singularis. Diuino quodam præditus sit iudicio, ille Senator est necesse, cui tantã negotia curæ, vt manum, cor, mentem, Principis, Ciuiumq; suorum teneat?

Quod

Quod munus tam difficile, tam arduum, quis alius nisi diuinus Orator, & summis studijs exercitatus Ciuis explere potest? Expleuisti Tu Illustriss: PRINCEPS, atque res illas varias, infinitas, distractas, ita continenter vt alienas, ita diligenter, vt Tuas, ita religiosè & sanctè, vt publicas tractasti. Nemo erat verus Ciuis Patriæ, qui Te impenso studio, non prosequeretur, nemo qui non meritis ornaret præconijs, ob summam vim eloquentiæ, vsum prudentiæ, humanitatis dignitatem. Quas quidem etiam virtutes, in Supremum M. D. L. CANCELLARIVM *coöptatus, summo honori consecrasti, vt Te vno, tanquam* Athlante *Respub. niti videretur. Est enim hic Magistratus ara iustitiæ, arx libertatis, Areopagus æquitatis; in quo legum patrocinium, cura salutis & incolumitatis publicæ suscipitur. At tamen in tanto negotiorum tumultu, nemo asperiorem Tuum vultum accusauit, nemo de aditu difficiliori conquestus est. Admittis enim omnes sine molestia, sine supercilio, non in ædes tantum Tuas, sed & in animum. Nihil celas, nihil suspicaris, nihil dissimulas, qui ma-*

ximus innocentiæ, candoris, veritatis, fructus est. Cum nemo benè de omnibus sentire possit, quàm qui optimus est. Nemo fraudem suspicari, nisi qui faciat. Nemo scelus dissimulare, nisi qui fucum non odit. Scilicet non es nescius tantam Tibi esse in eo iudiciorum campo potestatem, quantam lex porrigit, non quantam aliena cupiditas exposcit. Agnoscunt omnes Tribunal Tuum, esse scopulum nefariorum hominum, commune asyllum innocentum, pietatis, Consilij, libertatis officinam. Hic Tu libenter oppressis, auxiliatricem porrigis manum, erigis afflictos, retines homines calamitosos in patrocinio, das miseris salutem. Multos illustri gratiâ, multos beneficio, multos prompto salubriq; consilio iuuas, multos exhilaras potenti consolatione. Nimirum vt Sol ille splendidissimus Cœli ocellus, fons lucis inexhaustus, nitidi luminis fænerator, radijs suis, non superiores tantum orbes, sed hunc quoque infimum terrarum ambitum illustrat: semina generationis rebus in omnibus fouet, & promouet: fructus vberrimos, in agris, campis, montibus, arboribus, metalla deniq; in terræ visceribus excitat &

produ-

producit. Sic sublimis Tuus & heroicus animus, ad communis boni propagationem, diuino beneficio Cœlo demissus, sine fastidio infimorum etiam hominum, curat negotia: demittitq; se frequenter & libenter, ex summo honoris fastigio, vt agnoscat pauperum iniurias, & imbellem plebeculam, ab iniquorum prædatorum laceratione tueatur. Non valet apud Te Illustriss: PRINCEPS muneribus quæsita gratiâ, sed descripta legibus æquitas; non illustre genus, sed probata virtus, habet locũ. Nosti quantum amicis, quantum vicinis, quantum legibus, & communi bono concedendum sit. Ergo quâ exhilarasti pietate Senatum, Academicas etiam Musas refecisti, cum Coloniam Olicensem excitasti Illustriss: PRINCEPS. Vbi liberalitas meliùs poni potest, quàm vbi immortalitas emitur? Vbi fœnus bonitatis fœlicius exerceri, quàm vbi sapientia dominatur, innocentia viget, colitur Religio, propagatur Iustitia, sanctitas, fides? Quo quis latius dominatur, patentius gloriæ theatrum, vbi virtutem exerceat, habet. Quo quis latius patet ad fortunæ fauorem, eò magis respicere debet ad immortalita-

Colonia Acad in Olica

tem, atq; cogitare, quàm angustis terminis humana sit vita circumsepta. Non illum graues auri crustæ, quæ in tenebris delitescunt, fecerint immemorem fragilitatis, sed vsus. Sæpe in imum summa decidunt. Ingentes diuitiæ sine cultura euanescunt. Despicit ruinas, æternæ prouidentiæ securitatis, quæ in sapientiam beneficium locat; & ad alienos casus secura sui non exhorrescit. Vincit ætatē, superat sæcula, durat ad immortalitatē. Hæc celebrat magnificentiam, hæc animi magnitudinem commendat: & eò maiora semper accipit incrementa gloriæ, quò longiùs traducta fuerit in posterorum memoriam. Vt VLADISLAO IAGELLONI, *immortalem attulit laudem, hoc erectum Prytaneum, vt* Rozrazeuijs, Lubranscijs, Opalinijs, Zamoscijs *excitata Lycæa: Te quoque Illustriss:* PRINCEPS, *Fratremq; Tuum Illustriss:* ALEXANDRVM LVDOVICVM, *memoriæ dabit, magnitudo beneficij, quod in Musarum cultores præstitistis. Egregio exempli honore in liberalitatem, iunxistis manus: et quam à literis immortalitatem accepistis, eandem sacris studijs red-*

Colonia Academica in Biała.

didi

didiſtis. Caſtor quidem & Pollux alternis vicibus oriuntur nautis; vos pulcherrima ſydera ſimul in hoc Sarmatico Cœlo lucetis, ad ſempiternum Parnaſsi ſolatium. Sibi tenebras imputet iacens virtus, quæ non obtulit ſuum vobis obſequium: quod Conſcientiæ Veſtræ ſufficit, honorati ſunt, qui probati. Nec vereor cum hæc commemoro, ne in ſcopulum inuidiæ incurram. Noſti genium Academiæ Illuſtriſſ. PRINCEPS, *neq; illa didicit adulari, neq; poteſt. Sed Tuæ tamen gratulatur fælicitati, quod ab eius fontibus, cum literis pietatem hauſeris, illasq; tot æternas dotes, quas Tuum toties in vſum, & Reipub. lucem deprompſiſti. Gaudet & lætatur hæc bonorum altrix ingeniorum, quòd eodem tempore Te M.D.L. prudentiſsimum* CANCELLARIVM, *Patria fortiſsimum Ciuem, Eccleſia vigilantiſsimum ſuæ dignitatis vindicem, Senatus æquitatis arbitrum, & legum grauiſsimum poſsit appellare Dictatorem. Quas in Senatu promis ſententias, ſunt Sapientiæ oracula. quas pro Religione ſuſcipis vigilias, & labores, ſunt ſanctitatis miracula. quæ in ſummo Cancellariatu.*

ſta

statuis decreta, sunt iustiora quàm Areopagi edicta. quæ in Academiam fundis beneficia, magnificentiæ sunt exempla, apud omnem posteritatem prædicanda. Nam quæ ante squallore & ignorantiæ frigore obriguerunt regiones, nunc Tua beneficentia & fauore, accipiunt humanitatis Spiritum, & ad serenam pietatis auram gestiunt ac incalescunt. Nouus es illis in terris Prometheus qui ex rudi argilla, tam formosa simulachra finxisti, illisq; cœlesti ab igne vitam inspirasti cultiorem. Quanquam verò hæc beneficia plena sint lætitiæ & gloriæ, non tamen illa nos nobis, neq; nostris laboriosis operarijs, sed heroico potius animo Tuo adscribimus. Tuâ liberalitate viuunt, Tuâ beneuolentiâ proficiunt: quia Tu præes illis, & prodes, quod maximum magni PRINCIPIS Symbolum est. Exiguum sanè quiddam fuit quod nos aliquando præstitimus Tibi Illustriss: PRINCEPS. Tu verò hæreditario bono potens, memor Academicæ institutionis, memor indolis, munificentiorem erga nos gratiam, quam vel vnquam sperare, vel optare potuimus probasti. Nouum pieta-

tis

tis decus excogitasti, vt etiam rudes homines Tuo beneficio saperent! quod miraculum, Illustriss: Dñus STANISLAVS KONIECPOLSKI Supremus Exercituum Dux, Castell: Cracouień: admiratus è nostro quoq; Parnasso Musas in Brodensem Coloniam, magnificis muneribus euocauit. O singulare vtriusque pietatis pignus. Quorum olim in corde ruditas, in mente stupor, in lingua barbaries hærebat, eorum nunc in animis ingeniorum amænitas, morum suauitas, eloquentiæ & eruditionis amplitudo propagatur, excitatur. Magna semper fuit Illustriss: RADIVILLIÆ Domus erga nostram Academiam propensio, singularis fauor, egregia voluntas ac beneuolentia, quam vestri Maiores illustri Consilio, authoritate, fide, in Comitijs, in Senatu, in Regno, memores liberæ & liberalis institutionis, euidentibus & nimium quam propensis comprobarunt argumentis. Sed vos Illust: Principes maximè rarissimis exemplis, ad eius commoda augenda & amplificanda conspirastis. Nam & gustum solidæ gloriæ tenetis, & genium veræ fouètis eruditionis. Non alios Clientes in summa dignita- Acad: Colonia Broden:

H te ha-

te habetis, quàm aut Plato, aut Aristoteles, cæteræq; immortales illæ animæ, quæ ad communem vsum sub Academiæ vmbraculis, & Lycæi viridarijs scientias educarunt. Iam illud otium, quod Iustitium indulgere solet, quis vnquam melius, quàm vos impendit? Nam quoties, à Senatu seceditis, cum libris versari soletis, vt Scipiones Sarmatici nunquam sitis minus otiosi, quàm cum estis otiosi. Redde aliquando luci Illustriss: PRINCEPS Tuos Annales, & pressam tot ab annis docto pollice Historiam. Tam enim reliquos mortales eruditione & eloquentiæ maiestate: quàm fortunæ amplitudine antecellis. Scilicet prostratis ab omnibus partibus hostibus, dissipatis æmulis, vltima restabat superanda obliuio. Ergo Tu vindici stylo, quem in sanguine perduellium tinxisti, magis adhuc apud posteritatem triumphaturus, gloriam rerum gestarum promoues, victricesq; Coronas bellatorum, ne temporis volubilitate difluant, vel emarcescant, recenti æternitatis famâ recreas, ac reficis. Equidem non armis sæpius, quàm facundiâ, cum futuri temporis immensitate, in hac breuitate vitæ, decertandum

Annales Illustriss.

est.

est. Quo magis certi sumus ac securi, pietatis Tuæ hæreditatem, æternùm victuram, qui non tantum Herculis exuuias, & Palladis galleam iunxisti, sed etiam Musas collatis stipendijs, nouum in Parnassum euocasti; vt amicas virtuti, vitijs inimicas artes, in complexu, oculis, auribus, præsto semper habeas. Nullus hîc ambitioso silentio profitetur eloquentiam Harpocrates. *Omnium labores pari successu gaudent, & fructu.* Nemo *bonæ famæ conscius, famem sentit Professor. Nulla impatiens iniuriæ vox, aduersus auaritiam Daphnonis perstrepit.* Valeant nubes, si Soli Daphnoni emittunt aquas. *Non simulatione obfuscatur æquitas, sed promouetur fide, publicis ornatur præmijs laboriosa industria. Quæ in officina pietatis nascuntur lucubrationes, bonis auspicijs erumpunt in lucem. Summa cum voluptate legimus, illa pulcherrima ingeniorum specimina, illas laudes, Orationes, Pöëmata; illas sacras ædes, quas eruditus genius, cupressino delineatas carbone, in solido æternitatis solo inædificauit. Quid ego hîc Illustriss: olim Principis* REGINÆ *ab* EISENREICH, *prioris*

Theophrastus.

Adm. Rend. Ioan: Laski Can: Olicen Oratio funebris

Tuæ Coniugis laudes virtutesq; commemorem? quas illa benigno pietatis nexu copulauit, & adstrinxit? Nam quamuis, nunc illius non omnes virtutes (quæ sunt innumerabiles) proferre possim, illud tamen de Illustriss: illa Ducissa scio, quod de Te Illustriss: Dux didici: Cuius in animo vna virtus adsit, illic omnes adesse. *Testantur illius pariterque Tuam pietatem Monasteria religiosissima, Collegia Sacerdotum munificentiâ clarissima, & illa* prandia Olicensia, *qualibet feriâ quintâ pauperibus apposita. Testatur vitæ austeritas, animi submissio, feruentissima deuotio, singularis humanitas, vasa deniq; non tantum argentea, sed etiam aurea plurima, cæteraq; pretiosa supellex, pio voto, ornamentis templorum destinata. Scilicet rapitur ad similitudinem sui, diuinitatis particeps spiritus, & concentum virtutum, concordes animæ sponte resonant: quod quidem certissimum est cælestis benignitatis argumentum. Fauent igitur & fauebunt Tibi Illstr:* PRINCEPS *propitij Indigetes, qui Te è Domo* LVBOMIRSCIA *meritis amplissimâ, sponsâ lectissimâ bearunt. nec astra confundent lætitiam*

quæ

quæ benigno fauore suo consenserunt in serenitatem, festoque Tuo nuptiali post summos æstus, imbre placidissimo terram irrigarunt, auramq; totius diei reddiderunt temperatam. Ita vel ipse gentilitius (vt puto) fluuius, officiosas coëgit nubes in gratiam Nymphæ, & Tui. Sed ego inter fluuios orbis vniuersi, SRENIAWÆ maximè diuitias ac miracula, iam ante contemplatus sum. Vt placido amœnoq; alueo Polonum reficiat fundum, vt syluestria animalia recreet, vt quietem Patriæ securitatemque conciliet, vt denique formosas Naiadas, Dijs Nemorum donet ad solatium! Nunc hæc singula recensere, aut anbitiosi ostentatoris; aut hominis nimium quam otiosi puto. Apprimè enim operosum est in præterita secula industriam mittere curiosam; cum hanc rerum gestarum gloriam, quæ ferit omnium oculos ac perstringit, suo seculo non facile quisquam possit irretortis oculis intueri. Pietatem quispiam in Patriam desiderat; hanc Illustriss: STANISLAVS LVBOMIERSCIVS (qui nunc Palatinus & Generalis Cracou: iudicio Sereniss. VLADISLAI IV. Domini nostri

in mea Srenia-wa Nałe-ciana.

ſtri clementiſſ: renuntiatus eſt) eximius triumphator hoſtium victricibus armis comprobauit. Pietatem erga Principes atque fidem? at harum virtutum, in ſumma Reipub. tempeſtate, clariſsima ſemper eluxerunt argumenta. Pietatem in Deum? hanc templa Sanctiſsima, Monaſteria religioſiſsima, atque hæc ipſa VISNICIA Baſilica Saluatoris, opere magnifica, ſtructura viſenda, omni ſplendore ornamentorum conſpicienda oſtentat & deprædicat. Vbi victoriam opimaq; ſpolia de immaniſſimo Oſmano, Religioſiſsima P.P. CARMELITARVM Familia, æternis gratiarum actionibus decantat. Ergo fæcunda meritorum, & gloriæ, Illuſtriſſ: Patris ſui, Tua Sponſa Illuſtriſſ: PRINCEPS, ſterilitatem prioris coniugis, fæcunditate compenſabit. Filios dabit, qui Nicolai I. frugalitatem & fortitudinem, Nicolai II. fælicitatem & magnificentiam, Nicolai III. probitatem & magnanimitatem, Georgij & Ioannis ſapientiam & fortunam, Nicolai IV. rerum geſtarum gloriam, Georgij, Alberti, Stanislai, prudentiam & ſplendorem, Nicolai V. animi ſubmiſsionem, beneficentiam,

tiam, sanctitatem, Aui *alterius grauitatem & Iustitiam, alterius excelsum animum,* Patrui *eruditionem,* Tuam *verò quâ omnes omnium temperasti dotes, effingant heroicam* indolem & naturam. *Hoc vouemus, hoc precamur, vigeat* RADIVILLIA & LVBOMIERSCIA *Domus, fælici fœdere Cognationis copulata; & vtriusq; Filij, seriq; nepotes, ad Dei gloriam, Patriæ præsidium, Ecclesiæ Catholicæ decus, pietatis benignissimo rore nutriantur. Ergo hactenus in vestra tutela Illustriss: Senatores, latebant fortunæ subditorum, in vestro præsidio res mortalium acquiescabant, vestra virtute muniebantur, authoritate conseruabantur Lycæa Musarum:* Nunc *verò acriori studio promouenda Religio, libertas Patriæ & Ecclesiæ tuenda, comprimenda iniquitas, coërcenda Schismata, Hæresis profliganda, postquam Sacro Cognationis fœdere, gentilitia decora meritaque propagata sunt. Antea contenta patrijs fluxit alueis* SRENIAVA, *Superiori anno maiorem Poloniam, hoc fælici verò Coniugio M. D. L. irrigauit. Ergo qui tantū de vestris Ciuibus maximè solliciti fuistis, nunc de v-*

triusq;

triusq; Gentis populis, studium suscipere debetis. Et cum omnes plagas Orbis Sarmatici, mentis acie circumspexeritis, huc quoque ad nos dirigite vestros oculos, in quibus ipsa sessitat humanitas. Vestra liberalitate multis in locis recentes pietatis riui sunt excitati, sed & fontem ipsum, qui propinat aquas salutares, Coronate. Nos verò custodes & incolæ fontis, literis, ingenijs, vocibus, vestram heroicam æternùm grati propagabimus munificentiam; atque adeò nostros Præstites, Indigetesque Cœlestes orabimus, vt vtriusque Familiæ propitij semper sospitent progeniem. Ergo summus immortalisque Deus, qui huius Sacri Coniugij fatali prouidentiâ inceptor & perfector est, Consilia vestra dirigat, actiones fortunet, benedictionibus impleat, felices & beatos, & vigentes, Ecclesiæ suæ, Reip. Christianæ, literis Academicis, nostroque Minori (in hac temporum iniquitate & rerum omnium difficultate) Collegio, & mihi qui vestrum promptus in obsequium viuo, seruet, foueat, tueatur.

DIXI.

